



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Disp. V. De Sacris Ecclesiæ Conciliis,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

209. Innocentius VIII. Genuensis.

210. Alexander VI. Borgia Valentinus Hispanus.

XVI. Seculum.

211. Pius III. Senensis.

212. Julius II. Savonensis.

213. Leo X. Florentinus.

214. Hadrianus VI. Traiectensis Flander.

215. Clemens VII. Florentinus.

216. Paulus III. Farnesius Romanus.

217. Julius III. Aretinus.

218. Marcellus II. Politianus.

219. Paulus IV. Neapolitanus.

220. Pius IV. Mediolanensis.

221. Pius V. Alexandrinus, Ordinis Prædic.

222. Gregorius XIII. Bononiensis.

223. Sixtus V. ex Marchia Anconitana.

224. Urbanus VII. Romanus.

225. Gregorius XIV. Mediolanensis.

226. Innocentius IX. Bononiensis.

227. Clemens VIII. Florentinus.

XVII. Seculum.

228. Leo XI. Florentinus Medices.

229. Paulus V. Romanus.

230. Gregorius XV. Bononiensis.

231. Urbanus VIII. Florentinus.

232. Innocentius X. Romanus.

233. Alexander VII. Senensis.

234. CLEMENS IX. Pistoriensis, qui feliciter regnat.

116. Circa adductum Summorum Pontificum Catalogum, quatuor breviter observanda sunt. Primum est, ex ducentis triginta quinque Pontificibus recensitis, triginta quinque fuisse Martyres, & triginta septem Confessores, Sanctorum catalogo adscriptos. Secundum, quinquaginta duo è diversis Religioforum Ordinibus ad Pontificiam dignitatem, virtutis merito, fuisse evectos. Tertium, quatuordecim ex illis fuisse ex Gallia, quatuor ex Hispania, quatuor ex Germania, unum ex Anglia, unum è Belgio, quindecim ex Græcia, septem ex Syria, tres ex Africa, duo ex Sardinia; ceteros verò omnes, aut patriâ Romanos, aut natione Italos fuisse. Demum observandum est, nullum ex illi ducentis triginta tres Pontificibus, huc usque exæquasse dies Petri; imò aliquos fuisse, qui nec integrum mensem, sed nec hebdomadam unâ sui Pontificatus compleverint. Nam Stephanus II. dies tantum 4. in Pontificatu vixit, Urbanus VII. dies 7. Bonifacius VI. dies 15. Cælestinus IV. dies 17. Sisinus dies 20. Marcellus II. dies 21. Damasus II. dies 23. Pius III. dies 26. Leo XI. dies 27. Cujus rei piâ & egregiam assignat rationem Petrus Damianus opusculo 23. cap. 1. ubi Alexandrum II. sic alloquitur: *Aliquando à me sollicitè requisisti, quæ mihi causa videretur, cur Apostolicæ Sedis Antistes nunquam diutius vivat, sed intra breve temporis spatium diem claudat extremum, adeo ut post B. Petrum Apostolum, qui per quinque circiter annorum lustra præsedet, nemo postmodum Romanorum Pontificum hoc spatium præsulatus æquaverit: modernis imò temporibus, vix quispiam in prædicta Sedis culmen evehitur, qui metam quatuor, vel ut multum, quinque transcendat annorum? Quod considerantibus prodigialis, ut ita loquar, stupor oboritur, quoniam hæc breviter vivendi necessitas, quantum ad nostram notitiam, in*

A nulla alia orbis Ecclesia reperitur. Sed inquantum mortalibus divine dispensationis revelatur arcana, videtur nobis, quod idcirco hoc iudicij celestis ordo disponit, ut humano generi metum mortis incutiat, & quàm despicienda sit temporalis vita gloria, in ipso gloria principatu, evidenter ostendat; quatenus dum præcipuus hominum tam angustij temporis compendio moritur, tremefactus quisque ad præstolandi sui obitus custodiam provocetur, & arbor humani generis, dum cacumen ac verticem suum tam facile corruisse considerat, statu concussa formidinis, in suis undique ramusculis contremiscat.

B Hanc Pontificatus breviter diligenter inculcat D. Bernardus Epist. 237. ad Eugenium scribens: *In omnibus operibus (inquit) memento te esse hominem, & timor ejus qui auferit spiritum Principum, semper sit ante oculos tuos. Quantum in brevi Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspexisti? Ipsi te prædecessores tui certissima & citissima decessione admoneant; & modicum tempus dominationis eorum, paucitatem dierum tuorum nuntiet tibi. Fugi proinde meditatione, inter hujus præsentis gloria blandimenta, memorare novissima tua: quia quibus successisti in Sedem, ipsos sine dubio sequeris ad mortem &c.*



DISPUTATIO V.

De Sacris Ecclesiæ Concilijs.

U T omnes fidei regulæ explicentur, de Sacris Ecclesiæ Concilijs, eorumque in rebus fidei determinandis infallibilitate, superest nobis breviter disserendum. Unde sit

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Concilium generale, legitime congregatum, & celebratum, in determinando res fidei errare nequeat, subindeque sit regula infallibilis nostræ fidei?

§. I.

Quibusdam præmissis, Catholica veritas statuitur.

E S Vpono primò, Concilium sic definiti posse, Congregatio primorum Ecclesiæ sub uno certo capite, ad controversias fidei definiendas, legesque universales ad totius Ecclesiæ mores spectantes condendas. Dicitur Congregatio primorum, quia ad Concilium vocari non debent, nisi principales Ecclesiæ prælati, cujusmodi sunt Episcopi, Archiepiscopi, & Patriarchæ, qui soli in eo jus suffragij habent; Abbates verò & Generales Religionum, non nisi ex privilegio & concessione Pontificum illi intersunt. Vocantur etiam ad illud Theologi & Doctores, non ad ferendum suffragium, sed ad disputandum & causas fidei examinandas. Subditur sub uno capite, quia non est Concilium, sed conciliabulum, quod non est congregatum sub uno certo capite & Pastore Ecclesiæ. Additur: ad controversias fidei definiendas,

legesque universales condendas: quibus verbis innuitur causa finalis propter quam solent Concilia cogi. Unde si Praelati Ecclesiae propter aliqua negotia secularia congregarentur, non diceretur Ecclesiae Concilium.

2. Suppono secundo, Concilium sic definitum esse quadruplex, nimirum Generale, Nationale, Provinciale, & Diocesanicum. Concilium generale dicitur cui interesse possunt & debent, nisi legitime impediuntur, Episcopi totius orbis cum Sede Apostolica communionem habentes, unde dicitur etiam oecumenicum, id est totius orbis Concilium, & illi nemo recte praesidet, nisi Summus Pontifex, si eum habeat Ecclesia, aut alius ejus nomine. Concilium nationale est illud in quo conveniunt Archiepiscopi & Episcopi unius regni vel nationis, cuique praestit Patriarcha aut Primas. Talia sunt multa ex Conciliis Romanis, Toleranensibus, & Africanis, quae vocantur interdu Concilia universalis, non quod generalia sint absolute, sed quia generalia sunt quoad aliquod regnum. Concilium vero provinciale illud est in quo Episcopi unius duntaxat Provinciae congregantur, cuique praestit debet Archiepiscopus, sive Metropolitanus. Denique Concilium Diocesanicum dicitur illud in quo tantum congregantur Canonici & Patroci unius Episcopatus, cuique Episcopus loci praesidet; & hoc postremum Concilium vix nomen Concilij meretur, quandoquidem Concilia jurisdictione exteriori gaudere debent: in Diocesanis autem nullus est ordinarius, praeter Episcopum, qui hac jurisdictione polleat.

3. Suppono tertio, Concilia particularia sive nationalia sive provincialia, non confirmata a Summo Pontifice, posse errare in rebus ad fidem pertinentibus; testis est Carthaginense Concilium sub D. Cypriano, quod fuit nationale, celebratum, & legitimum Episcoporum 85. quorum plerique Martyres aut Confessores erant, ut colligitur ex Epistola Cypriani ad Iubaianum; & tamen erravit, definiendo baptizatos ab haereticis esse iterum baptizandos. Nec mirum, talia enim Concilia non sunt universalis Ecclesiae, neque illam representant, nec invenimus promissionem aliquam eis specialiter factam de infallibilitate. Eapropter haereticis Pelagianis a Concilio nationali Africano 217. Episcoporum damnata, non prius ab universali Ecclesia damnata est, quam Zozimus Papa decreta illius Concilij confirmasset, ut refert D. Prosper in chronico, & D. Augustinus 2. retract. cap. 20. non dicit haereticam Pelagianam ab Africanis Conciliis quae particularia erant damnatam, sed a Pontificibus Innocentio & Zozimo, cooperantibus Africanis Conciliis.

4. Denique ut certum supponimus, Concilium generale illegitimum posse errare, subindeque non esse regulam fidei: ut patet ex Ariminensi sexcentorum Episcoporum, non coacto autoritate Summi Pontificis, in quo approbatus fuit Arrianismus, Ephesino secundo, autoritate Theodosij junioris a Dioscoreo Alexandrino celebrato, quod sprevit Legatos Pontificis, & favit Eutychei: Constantinopolitano in Trullo, quod can. 2. approbavit Synodum Cypriani de rebaptizandis haereticis, aliaque multa perperam statuit: altero Constantinopolitano sub Leone Armeno anno 814. damnante cultum sacrarum Imaginum, reluctantibus Nicolai Papae Legatis: qui etiam cultus damnatus fuit ab altero Con-

A. lio 330. Episcoporum, coacto a Constantino Copronimo.

Solum ergo difficultas est, an Concilium generale, legitime congregatum, & celebratum, cui Summus Pontifex per se vel per suos Legatos praesens adest, non possit errare in his quae definit esse tenenda fide divina, subindeque sit infallibilis regula fidei? Id enim negant hujus temporis haeretici, contententes Concilia generalia, etiam legitime congregata, & a Summo Pontifice approbata, esse errori obnoxia. Pro cuius erroris impugnatione

Dico breviter, Concilium generale, legitime congregatum & celebratum, non posse errare in determinando res fidei, subindeque illud esse infallibilem fidei regulam.

B Colligitur ex Scriptura: Dicitur enim Matth. 18. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*: Sed Concilium legitime congregatum, est congregatum in nomine Christi: igitur in medio ejus praesidet Christus sua infallibili assentiā. Item Act. 15. dixerunt Apostoli: *Vnum est Spiritui Sancto & nobis &c.* Quibus verbis non obscure significatur, Conciliorum definitiones esse a Spiritu Sancto, ac proinde infallibiles. Favent etiam SS. Patres, specialiter S. Gregorius lib. 11. Epistolarum, Epist. 24. ubi dicit se venerari quatuor Concilia generalia (videlicet Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, quae ipsum praecesserunt) sicut quatuor Evangelia.

C Ratio etiam suffragatur: De fide enim est, Ecclesiam universam errare non posse in credendo & docendo, illa enim est columna & firmamentum veritatis, contra quam porta inferi nequeunt prevalere, ut supra ostensum est: Atqui si Concilium generale, legitime congregatum, & celebratum, errori obnoxium esset, eo ipso erraret universa Ecclesia in credendo & docendo, cum tale Concilium universam representet Ecclesiam, & tota Ecclesiae autoritas in eo sit; adest enim Summus Pontifex per se, vel per suos Legatos, & Episcopi, qui sunt Ecclesiae Principes, & nobiliores ejus partes seu membra, ei assistant: Ergo &c.

D Confirmatur: Vel Ecclesia omni regula viva & iudice controversiarum sufficienti destituta est (quod quam sit absurdum supra ostendimus) vel id Concilio generali legitimo, id est capiti & praecipuis membris Ecclesiae totam representantibus concedi debet: neque enim haec regula potest esse totum corpus Ecclesiae, ut comprehendit omnes Catholicos, propter impossibilitatem omnes cogendi vel consulendi, & propter alia multa, quae loco citato adduximus.

E Addo quod, si Concilia generalia, legitime congregata, & autoritate Summi Pontificis confirmata, errori obnoxia essent, possent in dubium revocari omnes in illis haereticis damnatae: posset dicere Arius, errasse Nicenum, Macedonius Constantinopolitanum, Nestorius Ephesinum, Eutyches Chalcedonense, sicque omnes sopitae haereticae & extinctae ex suis cineribus resurgerent, & quatuor prima illa Concilia nullo honore digna essent, cum tamen ea videamus etiam ab Adversariis cum honore suscipi, & D. Gregorius supra relatus testetur, se non minus illa quam quatuor Evangelia venerari.

§. II.

Solvuntur objectiones.

9. **C**ontra istam conclusionem objicit primò Calvinus in suis institutionibus cap. 8. de fide num. 161. Augustinus contra Maximinum lib. 3. cap. 14. docet non Conciliorum sed Scripturarum autoritate de rebus fidei certandum esse, sic enim habet: *Nec nunc ego Nicenum, nec tu debes Ariminense, tanquam prejudicaturus proferre Concilium: nec ego hujus autoritate, nec tu illius detineris; Scripturarum autoritatibus, non quorumcumque proprijs, sed utriusque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione, concertet.* Ergo censet Concilia generalia, legitime congregata & celebrata, & à Summo Pontifice confirmata, non esse infallibilem regulam fidei, sed illa errori obnoxia esse. Unde lib. 2. de Baptismo cap. 3. dicit Concilia plenaria priora, à posterioribus emendari.

10. Respondeo primò, Calvinum sibi ipsi manifestè contradicere, ac seipsum ut ita dicam jugulare, cum loco citato num. 154. de antiquis Concilijs hæc scribat: *Veneror ea ex animo, suoque in honore apud omnes esse cupio.*

Respondeo secundò, Augustinum eo loco Concilijs legitime congregatis, & à Pontifice confirmatis, in definiendis rebus fidei autoritatem non negare, cum ipsis tantam tribuat, ut ne ipsi quidem Evangelio se crediturum fateatur, nisi Catholice Ecclesie ipsum commoveret autoritas, contra Epistolam fundamenti cap. 5. Sed cum controversia esset inter ipsum & Maximinum Arrianum, qui Nicæni Concilij in quo definita fuit Filij Dei consubstantialitas, eaque novo vocabulo *Homousion* explicata, autoritatem non admittebat; cumque ex alia parte in Concilio Ariminensi, ob pravitatem aliorum Episcoporum Arrianorum, rejectum fuisset ob vocabuli novitatem, nomen *Homousion*, & Maximinus Nicæno Concilio, Concilium Ariminense opponeret, D. Augustinus videns non esse consumendum tempus in ostendendo quòd Concilium Nicænum erat legitimum, & Ariminense illegitimum, quia habebat argumenta ex Scriptura magis efficacia, dixit: *Nec ego hujus, nec tu illius autoritate teneris*: id est non vis teneri Concilij Nicæni autoritate quam tibi objicio, nec ego Concilij Ariminensis quod opponis Nicæno: omittere ergo Conciliorum autoritatem, & ad Scripturas veniamus.

Ad id verò quod ex eodem Augustino lib. 2. de Baptismo subditur, dicendum est, ipsum ibi non loqui de fidei doctrina, sed de questionibus facti, qualis erat questio præcipua Catholicorum cum Donatistis, contra quos ibi disputat, an nimirum Cæcilianus libros sacros tradidisset hostibus Ecclesie: in his verò & similibus facti questionibus, Summum Pontificem & Concilia non esse infallibilia, omnes fatentur. Unde potest unum Concilium, etiam confirmatum, in definitionibus talium questionum, emendari ab alio.

11. Obijciunt secundò hæretici: Plura Concilia etiam in rebus fidei erraverunt: Ergo illa non sunt regula infallibilis nostræ fidei. Consequentia patet, Antecedens varijs exemplis demonstrant. In primis enim (inquiunt) Pontifices Judæorum erraverunt in Concilio contra Christum inito Joan. 11. versu 47. Secundò, Conci-

lium Neocæsariense confirmatum à Leone IV. videtur errasse damnando secundas nuptias, ijs verbis quæ habentur sell. 7. *Presbyter convivio secundarum nuptiarum interesse non debet, cum precipiatur secundis nuptijs penitentiam tribuere.*

Tertiò, Concilium Nicænum primum docet (inquit Lutherus) rebaptizandos esse Paulianos hæreticos. Quartò, Concilium Arelatense secundum, receptum in Ecclesia, can. 2. sic habet: *Assumi aliquem ad Sacerdotium in vinculo conjugij constitutum, nisi fuerit promissa conversio, non oportet.* Quibus verbis Concilium damnare videtur conjugium; cum enim non sit conversio nisi à malo, jubere quod conjugatus convertatur, est conjugum damnare. Denique Concilium Toletanum primum, approbatum à Beato Leone, can. 17. dicit posse admitti ad communionem eum qui concubinam habet, modò non sit uxoratus.

Respondeo negando Antecedens, & ad primam illius probationem dico, Pontifices Judæorum errasse quidem in Concilio illo contra Christum inito, non agnoscendo ipsum ut Messiam, sed illos non processisse tunc more dogmatico & Conciliari, sed apertè invidià fuisse ductos, non vocato Christo, qui tot insignibus miraculis se Messiam esse & caput Ecclesie confirmaverat. Quanquam nec propriè fuit illud Concilium, sed conspiratio; non enim convenerunt Pontifices & Pharisei ad deliberandum de rebus fidei, & de bonis moribus, imploratà suppliciter ope divinà, sed ad perendum Christum, ut patet ex propositione ibidem facta versu 47. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum, sive venient Romani &c.*

Ad secundam probationem de Concilio Neocæsariensi, dicendum ipsum loqui de secundis nuptijs, vivente adhuc primà uxore; sive de eo qui habens unam uxorem, matrimonio se conjungit cum alia. Dicit etiam potest quod Concilium prohibet non quidem secundas nuptias, sed solemnitate quæ in primo matrimonio fit, in secundo observari: in primo enim obnubuntur capita novarum nuptiarum velo quodam partim rubeo partim albo; canon autem citatus prohibet ne Presbyter celebratorem secundi matrimonij cum hac ceremonia faciat.

Ad tertiam de Concilio Nicæno primo, dico quod quia Pauliani hæretici negabant Trinitatem, subindeque verè non baptizabant, rectè Concilium determinavit, baptizatos ab illis, esse iterum baptizandos.

Ad quartam de secundo Concilio Arelatenfi, respondeo conversionem non tantum dici de statu malo in bonum, sed etiam de statu bono in meliorem, ut patet ex doctrina D. Gregorij lib. 2. Epist. cap. 100. vocantis professionem religionis conversionem. Unde sensus verborum Concilij est, non debere assumi aliquem ad Sacerdotium in vinculo conjugij constitutum, nisi fuerit promissa conversio, id est nisi promittat quod aspirabit & tender ad perfectiorem vitæ statum, in quo certè nullus est error.

Ad ultimam de Concilio Toletano primo, dico illud nomine Concubinæ intelligere non eam quæ non est verè uxor, sed illam quæ ducta est sine dote, & absque externa solemnitate, ut rectè notavit Gratianus dist. 34. Can. *omnibus*: eo modo quo Scriptura Genes. 25. vocat Agar concubinam Abraham, quæ tamen vera erat uxor illius, ut patet ex Genes. 16. Neque obstat quod Beatus Leo qui hoc Concilium confirmavit, in Epistola

Epistola 92. ad Rusticum Narbonensem cap. 4. A
dicat concubinam non esse veram uxorem; ibi
enim non concubinam sumit aliter quam Patres
Concilij Toletani, nimirum pro ea quae sine mu-
tuo consensu perpetuo vivendi simul, assumitur
ad consortium thori.

ARTICVLVS II.

*Recensentur breviter omnia Concilia Gene-
ralia, in Ecclesia celebrata.*

C oncilia generalia in Ecclesia celebrata in
tres classes dividi solent: Quaedam enim
sunt ab Apostolica Sede approbata, & ab univer-
sali Ecclesia recepta; quaedam omnino reproba-
ta, & quaedam partim approbata, & partim re-
probata.

13. Concilia generalia approbata numerantur huc
usque decem & octo. Primum est Nicenum 318.
Episcoporum, celebratum sub Sylvestro Papa
anno 325. Constantino imperante. In eo duae po-
tissimae controversiae definitae sunt, una de ce-
lebratione Paschatis, altera de divinitate Chri-
sti, adversus haeresim Arianam.

Secundum est Constantinopolitanum I. 150.
Patrum, celebratum sub Damaso Papa anno
Domini 381. pro Divinitate Spiritus Sancti ad-
versus Macedonium illam negantem.

Tertium est Ephesinum I. Episcoporum du-
centorum, celebratum sub Celestino I. anno
Domini 431. contra Nestorij haeresim, ponentis
in Christo duas personas, humanam, & divinam.

Quartum est Chalcedonense 630. Episcoporum,
celebratum sub Leone I. anno Domini 451. ad-
versus haeresim Eurychetis, unam tantum in
Christo naturam asserentem post Incarnationem.

Quintum est Constantinopolitanum II. Epif-
scoporum 165. celebratum sub Vigilio anno Do-
mini 553. adversus tunc invalescentem Origenis
haeresim, nec non ad sedandos fluctus dissensio-
num, quibus Ecclesia tunc temporis occasione
Synodi Chalcedonenfis agitabatur.

Sextum est Constantinopolitanum III. Epif-
scoporum 289. celebratum sub Agathone Papa D
anno Domini 630. ad damnandam haeresim Mo-
nothelitarum, unicam in Christo voluntatem po-
nentium.

Septimum est Nicenum II. Episcoporum 350.
celebratum sub Adriano I. Papa anno Domini
787. adversus Iconomachos haereticos, hoc est,
sanctarum Imaginum impugnatores.

Octavum est Constantinopolitanum IV. E-
piscoporum 383. celebratum sub Adriano II. an-
no Domini 869. propter tyrannicam depositio-
nem Ignatii Patriarchae Constantinopolitani, cui
Photius contra sacros Canones substitutus fue-
rat, cuius suasu, & opera Graeci coeperunt ma-
nifeste contra Primatum Romani Pontificis, E
quem prius semper agnoverant, sentire, & do-
cere. Coeperunt quoque Latinos odio capitali
prosequi, & tanquam anathemate percussos de-
vitare, eo quod addiderint Symbolo Niceno,
& Constantinopolitano verba illa (*Filioque*)
quare palam Graeci se se à Romanis, & Latinis
diviserunt; indeque nulla amplius celebrata sunt
Concilia Generalia in Oriente, sed in Occiden-
te solum.

Nonum est Lateranense I. mille ferè Patrum,
hoc est, Episcoporum, & Abbatum, celebra-
tum sub Calixto II. anno Domini 1122. contra
Saracenos, pro recuperanda Terra Sancta, sed
non extat.

Decimum est Lateranense II. circiter mille
Episcoporum, & Abbatum, celebratum sub In-
nocentio II. anno Domini 1139. contra Antipa-
mam Petrum Leonem, & pro iure Cleri.

Undecimum est Lateranense III. Episcoporum
ferè trecentorum, celebratum sub Alexandro III.
anno Domini 1179. pro reformatione Ecclesiae, &
contra Waldenses.

Duodecimum est Lateranense IV. Patrum
1287. ex quibus erant duo Patriarchae Orientales,
Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus: Ar-
chiepiscopi tum Graeci, tum Latini 70. Episcopi
400. Abbates 12. Priores conventuales 800. ce-
lebratum fuit sub Innocentio III. qui ipse etiam
praefuit, anno Domini 1215. contra varias haere-
ses, transubstantiationisque vocabulum in Sa-
cramento altaris, in hoc Concilio approbatum est.

Decimum tertium est Lugdunense I. celebratum
sub Innocentio IV. anno Domini 1245. contra Fri-
dericum II. Imperatorem, qui ad Concilium vo-
catus, & venire recusans, tanquam hostis Eccle-
siae iudicatus, Regno Siciliae, & Imperio Ro-
manorum privatus est. Actum etiam fuit de re-
cuperanda Terra Sancta, Sancto Ludovico Re-
ge constituto Duce illius quintae expeditionis
sacrae.

Decimum sextum est Lugdunense II. Patrum
ferè mille, ex quibus erant Episcopi 500. Ab-
bates 60. & alij Praelati minores, celebratum
sub Gregorio X. anno Dñi 1274. contra errores
Graecorum, qui opera, & industriam S. Bonaven-
turae, cum Latinis conjuncti sunt, & conciliati
super articulo de processione Spiritus Sancti.
Quare definitum est Spiritum Sanctum ex omni
aeternitate à Patre, & Filio procedere, sed
non tantum à duobus spiratoribus, sed ab uno Spi-
ratore, & principio: neque duabus spirationi-
bus, sed unica tantum spiratione. Graeci enim
putabant, Latinos asserere, Spiritum Sanctum
procedere à Patre, & Filio, tanquam à duobus
spiratoribus, & principiis, duabus quoque spi-
rationibus, non una. Fuit haec concordia Graeco-
rum cum Latinis decima tertia, quamvis diu non
perduravit, sicut nec praecedentes.

Decimum quintum est Viennense Episcoporum
ferè 300. celebratum sub Clemente V. anno Dñi
1311. Templariorum Ordo, qui annis 203. steterat,
in eo suppressus & extinctus est. Dammati Begar-
di & Beguinæ, nec non reprobata doctrina, quæ
tradebatur animam rationis compotem, non esse
corporis humani formam.

Decimum sextum est Florentinum Patrum 141.
qui subscripserunt, & multorum aliorum qui ante
subscriptionem discesserant, celebratum sub Euge-
gio IV. anno Domini 1439. In eo Graeci ultimò
convenerunt cum Latinis super quinque fidei ar-
ticulos, de processione Spiritus Sancti ab utro-
que, de Purgatorio in certo loco, & corporali
gne, de Primatu Ecclesiae Romanae, & Ponti-
ficis super omnem Ecclesiam, quod Latini meri-
tò addidissent Symbolo (*Filioque procedit*) ad
tandem, quod iusti de causis in azymo consecra-
rent, quamvis Graeci, suo modo, in fermenta-
to. In hoc item Concilio Armeni se se ad Eccle-
siam Romanam reducerunt, & receperunt ab
Eugenio IV. Decretum fidei, in quo breviter
continetur doctrina quam habet Ecclesia Ro-
mana de septem Sacramentis.

Decimum septimum est Lateranense V. Patrum 114. celebratum sub Julio II. & Leone X. anno Domini 1512. & sequentibus, contra schismata, & pro aliis variis negotiis, quorum precipuum fuit Pragmatica Sanctionis abrogatio.

Decimum octavum est Tridentinum, sex Cardinalium, quatuor Legatorum, Patriarcharum trium, Archiepiscoporum triginta duo, Episcoporum ducentorum viginti octo, Abbatum quinque, Generalium ordinum ministrorum septem, Episcoporum procuratorum multorum, celebratum sub Paulo III. Julio III. ac Pio IV. ab anno 1545. quo inchoatum fuit, usque ad annum 1563. quo finitum fuit, contra haereses Lutheranorum, Calvinistarum, & aliorum.

Cum autem Catholici praefata decem & octo Concilia generalia pro authenticis unanimiter recipiant; Graeci tantum recipiunt prima septem, Lutherani prima sex; Eutychniani, qui adhuc inveniuntur in Asia, prima tria. Nestoriani, qui etiam in Oriente relictii sunt, prima duo; Trinitarii, qui in Hungaria & Polonia nunc versantur, nulli admittunt.

Concilia generalia reprobata sunt septem, nempe Antiochenum, tempore Julij I. & Constantij Imperatoris, circa annum Domini 345. in quo ab Arrianis damnatus est Athanasius, & via patefacta ad eversionem Concilij Niceni primi. Mediolanense Episcoporum plusquam 300. tempore Liberij, & ejusdem Constantij, circa annum 354. in quo etiam oblique fides Catholica damnata est. Ariminense Episcoporum 600. tempore Felicis II. & ejusdem Constantij anno 373. in quo sublatum est de Symbolo nomen hominios. Ephesinum secundum tempore Leonis I. & Theodosij junioris, anno 449. in quo factio-ne Dioscori occisus est S. Flavianus Episcopus Constantinopolitanus, & Legati Romani Pontificis fugati, ac demum haeresis Eutychniana confirmata. Constantinopolitanum tempore Gregorij II. & Leonis Ispauri Iconomachi, anno 730. celebratum, contra sacras Imagines, renitente S. Germano Patriarcha Constantinopolitano, qui propterea a sua Sede dejectus est. Item aliud Constantinopolitanum Episcoporum 338. tempore Stephani II. & Constantini Copronymi, anno 755. in quo etiam Christi & Sanctorum Imagines abolitae sunt. Pisanum contra Julium II. anno 1511. reprobatur paulo post in Concilio Lateranensi quinto, sub eodem Julio II. celebrato.

Quantum vero ad Concilia, partim confirmata, & partim reprobata, sex enumerantur, ex quibus primum est Sardicense, tempore Julij I. & Constantij coactum, in quo trecenti Episcopi Occidentales fidei Catholicae subscripserunt, reliqui vero septuaginta sex qui erant Orientales, fidei Arrianae. Secundum fuit Concilium Sirmense sub Liberio Summo Pontifice, Constantio imperante, in quo duae formae fidei compositae sunt, una Graeco idiomate Catholica; altera in lingua Latina, apertis blasphemis plena. In eo etiam Phorini haeretici damnatio facta est, quam universalis Ecclesia recepit. Tertium est Concilium Trullanum, Constantinopoli in Palatio quod dicitur Trullum celebratum, tempore Sergij Papae, & Justiniani Imperatoris. Dicitur autem partim approbatum, quia licet Sergius Papa tunc sedens eum reprobarit, subindeque Canones illius nullam ex se vim habeant, tamen octogesima secundus de pingendis imaginibus postea receptus est ab Adriano Papa, & a septima Synodo generali. Quartum est Concilium Fran-

A cfordiense, tempore Adriani I. & Caroli Magni Francorum Regis coactum; licet enim confirmatum fuerit quoad dogma in quo definit, Christum non esse Filium Dei adoptivum, reprobatum tamen fuit quoad aliud, in quo ex errore damnatur septima Synodus. Quintum est Concilium Constantiense inchoatum sub Joanne XXII. & finitum sub Martino V. tempore Sigismundi Imperatoris: licet enim approbatum fuerit a Martino V. quantum ad ultimas sessiones, non tamen quoad primas. Sextum denique est Concilium Basileense, tempore schismatis inchoatum, & continuatum Basileae, ac deinde Lausanae finitum anno 1449. quo tempore cessit Nicolao V. Pontifici, tam ipsum Concilium, quam Felix V. in Summum Pontificem tempore schismatis ab ipso Concilio creatus, cujus Concilij nihil approbatum fuit, praeter aliquas dispositiones circa beneficia Ecclesiastica.

B Praeter quinque fidei regulas, jam explicatas, nimirum Scripturam, Traditionem, Ecclesiam, Summum Pontificem, & Concilia generalia, alij sextam assignant, nempe unanimem SS. Patrum in vero sensu Scripturae explicando, vel traditione referenda, vel Ecclesiae sensu, & dogmate fidei, ut tali indubitanter asserendo consensum. Hunc enim Ecclesia universalis sequitur, & sequi tenetur in materia fidei, ut patet ex Concilio Lateranensi centum quinque Episcoporum sub Martino I. consultatione, ubi ex quinta Synodo generali referuntur haec verba: *Super his autem in omnibus sequimur sanctos Patres, Doctoresque Ecclesiae, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nyssanensem, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Joannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proclum, & suscipimus omnia, quae ab eis pro recta fide, & in condemnationem haereticorum exposta sunt. Suscipimus autem & alios sanctos & orthodoxos Patres, qui in sancta Dei Ecclesia rectam fidem irreprehensibiliter usque ad finem vitae praedicaverunt &c.* Unde SS. Patres, & Ecclesiae Doctores, teste Cassiodoro, sexaginta illi fortes sunt, qui lectum Salomonis, ipsam scilicet Ecclesiam, indefesse custodiunt, dum illam suis sententiis & scriptis, adversus haereticorum tela communiant, & defendunt. Imò ipsi sunt (inquit Prosper) qui per Dei gratiam divini voluntatis indices, Ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores, fidelis populi duces, veritatis assertores, pravae doctrinae hostes, Patres in fide Catholica regeneratores, Praedicatores caelestium, primi phalanges invisibilium praeliorum, exempla bonorum operum, documenta virtutum, & forma fidelium. Ipsi sunt Ecclesiae duces, ipsi columna firmissima, quibus in Christo fundatis innititur omnis multitudo credentium &c.

E Dixi consensus unanimis Sanctorum Patrum, quia nullus est ex SS. Patribus, Doctoribus, seorsim sumptus, qui sit regula infallibilis fidei, cum nulli sit promissa infallibilitas, & singuli ferè in quibusdam erraverint, ut Cyprianus in haeretici rebaptizandis, Hieronymus in aliqua parte Danielis rejicienda, Hilarius, Ambrosius, & Augustinus, in asserenda Angelorum corporeitate; Gregorius Nazianzenus, Basilus, & Origenes, in astruenda eorum creatione ante mundum corporeum, & alij in aliis. Unde Augustinus in Epistola quadam ad Hieronymum, hanc praecalam scribit sententiam, quae etiam in volumine decretorum dist. 9. cap. Ego solis, recitatur in hunc modum à Gratiano; Ego solis

scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut earum nullum Authorem aliquid errasse firmissimè credam. Si autem aliquid in eis invenero quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm mendosum codicem esse, vel non assecutum interpretem quod dictum est, vel minimè me intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, quantalibet sanctitate vel doctrinâ polleant, ut non ideo verum putem, quia ipsi ita senserint, sed quia per alios Authores, vel Canonicos, vel probabiles rationes, quia à verò non aberrant, mihi persuadere poterunt.



DISPUTATIO VI.

De actu fidei interno.

Ad quæst. 2. D. Thomæ.

CVM actus virtutis speciem desumat ab objecto, ipsumque habitum virtutis specificet, atque ita sit medius inter utrumque, post exactam objecti nostræ fidei considerationem, statim occurrit consideratio actus illius. Hic autem est duplex, internus nimirum, cujus definitio est, quod sit assensus firmus, in autoritate Dei obscurè revelantis fundatus; & externus, qui nihil aliud est, quàm exhibitio signi alicujus sensibilis, quo internus fidei actus declaratur. De primo agemus in hac disputatione; de secundo in sequenti.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum ad actum internum fidei requiratur pia motio voluntatis?

PArtem negantem tenent Scotus in 3. dist. 25. quæst. 1. & 2. Holcot in 1. quæst. 1. art. 1. & Picus Mirandulanus in Apologia, quæst. 8. diverso tamen ducti fundamento: duo enim ultimi existimant intellectum cogi ad assentiendum per motiva credibilitatis, non minus quàm cogatur ad assensum conclusionum propter demonstrationem; unde sicut assensus scientificus non exigit piam motionem voluntatis, ita nec assensus fidei. Scotus verò docet ad actum fidei sufficere quod voluntas ad illum merè negativè se habeat, seu quod illi non resistat; minimè verò requiri quod intellectum ad assentiendum veritatibus revelatis positivè applicet, ac determinet. Pro defensione affirmativæ sententiæ, quæ communis est apud Theologos,

Dico, ad actum internum fidei requiri motionem voluntatis, quâ determinet & moveat intellectum, ut credat id quod ipsi cum obscuritate proponitur.

Probatur primò ex Scriptura: nam ad Rom. 10. dicitur: *Corde creditur ad iustitiam*, id est, voluntate movente & applicante ad credendum, ut explicat D. Thomas ibidem lect. 2. & Isaiæ 6. & Joan. 12. infidelitas Iudeorum adscribitur duritiæ cordis, id est obstinate voluntati. Item Lucæ 24. sic Christus increpavit duos Discipulos euntes in castellum Ematis: *O stulti, & tardi corde ad credendum!* id est, quorum voluntas ad credendum tardè & difficilè se determinat. Denique

Tom. IV.

A Actum 16. dicitur de Lidia Purpuraria: *Dominus aperuit ei cor, ut intenderet, & crederet his quæ dicebantur à Paulo*: ubi per cor significatur voluntas, quæ priùs tangi & immutari debet per auxilium gratiæ, quàm intellectus præbeat assensum veritatibus revelatis. Unde in Concilio Arausicano can. 5. asseritur, initium fidei, sive credulitatis affectum (qui est ipsa pia motio voluntatis) dari nobis per Spiritum Sanctum.

Probatur secundo ex Augustino Tract. 36. in Joannem, ubi sic ait: *Intrare quisquis in Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, sed credere non potest nisi volens*. Ergo ex Augustino actus fidei est voluntarius, subindeque supponit motionem & determinationem voluntatis, applicantis intellectum ad credendum.

Probatur tertio: Assensus fidei est liber, non solum quoad exercitium, sicut actus scientiæ & intelligentiæ, sed etiam quoad specificationem, sive in ratione assensus potius quàm dissensus: Ergo requirit necessariò piam motionem voluntatis, ratione cujus determinetur intellectus ad illum, tam quoad specificationem, quàm quoad exercitium. Consequentia est legitima: omnis enim actus liber intellectus, formaliter quâ liber est, dependet à voluntate, & indiget ejus determinatione. Antecedens verò probatur primò ex Tridentino sess. 6. cap. 4. dicente, quod hi qui

Custificantur, *Liberè moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt*: Ergo ex Tridentino actus fidei est liber, etiam quoad specificationem. Secundo probatur idem Antecedens ratione: Positis omnibus motivis ad credendum, non solum non necessitatur homo ad eliciendum actum circa res fidei, sed nec etiam ad eliciendum actum assensus potius quàm dissensus: unde Christo & Apostolis prædicantibus, & miracula facientibus, quidam mysteriis nostræ fidei assentiebant, alij verò dissentiebant; juxta illud Act. 28. *Cum audissent resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant; quidam verò dixerunt, audiemus te de hoc iterum; quidam verò viri adherentes ei, crediderunt*: Ergo assensus fidei est liber, non solum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem. Tertiò, Actus fidei, si adsint conditiones omnes requisitæ ad meritum, est meritorius non solum quoad exercitium actus, sicut actus scientiæ, sed etiam quoad specificationem, & ex parte objecti, sicut actus virtutum moralium, ut docet D. Thomas hic art. 9. & patet ex illo ad Rom. 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*: est etiam laudabilis, juxta illud Lucæ 1. *Beata quæ credidisti*, & istud Joan. 20. *Beati qui non viderunt, & crediderunt*: Ergo talis assensus, vel actus fidei, voluntarius & liber est

D quoad specificationem, & non solum quoad exercitium; actus enim eo modo, quo est meritorius & laudabilis, debet esse liber, cum libertas per se ad meritum & laudabilitatem actuum humanorum requiratur. Denique est speciale præceptum de præbendo assensu mysteriis nostræ fidei sufficienter propositis: At præceptum non datur de actibus necessariis, sed de liberis: Ergo &c.

E Quarto suaderi potest conclusio. Intellectus non determinatur sufficienter ad credendum, ab objecto sibi proposito: Ergo ut credat, indiget motione & determinatione voluntatis. Consequentia patet: intellectus enim solum potest determinari ab objecto, vel à voluntate. Antecedens probatur: Objectum non determinat suffi-

Pp ij